





1723/12  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

158.  
14  
**LICITO JUDICIS  
FAVORE,**

QVAM,  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE

REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

457  
**JO. JOACHIMO HAHN,**

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hasliam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M.V. & ad S. Joannera Moguntiae, respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

**EX DECRETO ET AUTORITATE ILLUSTRIS JCITORUM  
ORDINIS,**

IN ACADEMIA ERFURTENSI,

SUB PRÆSIDIO

**DN. JO. PHILIPPI *Streits* / JCTI,**

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII  
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICÆ DECANI,

**PRO LICENTIA**

**SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
CONSEQUENDI,**

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

**ANDREAS HENNICKIUS, Welfa-  
Torg. Misnicus.**

DIE XIV. APRILIS, A. O. R. MDCC XXXIII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, H. C.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DISPUTATIO DE ...

LIBRO ...

UNIVERSITATE ...

IO. JOACHIMUS ...

MUSEUM ...

DE ...

STIMULUS ...

EX ...

CHRISTOPH ...

...




L



od  
fa  
le  
ta  
ca

Pa  
gu  
du  
em  
m





DISSERTATIONIS INAUGURALIS  
DE  
LICITO IN JUDICE FAVORE

§. I.



Diosa in jure res est favor in Judice, utut,  
quod proverbio, sed & eheu! veriverbio  
dicitur, plus sæpe valeat, quam lex in Co-  
dice. Et merito sane quivis, cui

*De meliore luto fixit præcordia Titan,*

odio plus quam Vatiniano prosequitur illum in judice  
favorem, qui nihil aliud est, quam nefanda illa, & à  
legibus tam divinis, quam humanis tantopere damna-  
ta, imo execrata, *προσωποληψία*, utpote quæ Rempubli-  
cam sane haud mitius affligit, quam

*Trux bellum, vel dira fames, atratave pestis.*

Parum autem refert, an amicitia, affinitas, consan-  
guinitas, vel munera demum, ad vetitum, imo foeti-  
dum huncce favorem sollicitaverint judicem, eidem  
enim poenæ in jure constitutæ subjacet. Tenetur ni-  
mirum Judex talis per sordes judicans, ceu leges eum

A 2

per

per contemptum vocant, duplici pœna, nimirum L. Cornelia de falsis, L. 1. §. 3. ad L. Cornel. de fals. & L. Julia de repetund. per L. 3. & 4. ff. ad eand. L. non tamen cumulativè sed solum alternativè L. 14. ff. de accusat. & in script. item L. 32. in fine ff. de pœn. præterea cum ex injusto favore prolata sententia executioni data, omne damnum parti læsæ restituere tenetur, & fit infamis L. 2. de pœna jud. qui male jud.

§. II.

Secundum Nov. 124. Cap. 2. si Judex in causa pecuniaria corrumpi se patiat, triplum ejus, quod datum, aut duplam ejus, quod promissum præstare tenetur, & dignitatem amittit; si vero causa sit criminalis, confiscatis bonis in exilium mittitur, *Auth. Navo Jure Cod. de pœn. Jud. qui male jud.* præsertim si Judex fuerit pedaneus L. 38. §. 10. ff. de pœn. quid? quod juxta eand. *Auth.* eandem incurrit pœnam, si intra decem menses à die latæ sententiæ aliquid datum fuisse judici probatum fuerit, utut pars se nihil vel dedisse vel promississe juraverit. Quod si sententia judicis per sordes Judicantis nondum sit executioni mandata, simulac de sordibus judicis constiterit, est ipso jure nulla L. 7. Cod. quando provoc. non est necess. sive æqua sive iniqua illa fuerit C. 71. non licet C. XI. qu. 3. *jur. Et C. 64. non debet, eod.* quod tamen solummodo intelligendum de eo casu, quo sententia ex voto corruptoris est prolata, hæud vero de eo, ubi ipsi est contraria, hoc enim in alterius præjudicium vergeret, qui se ab omni corruptione abstinuit, è contrario vero in commodum corruptoris, utpote qui voti sui compos fieret,

ret,

ret, si sententia etiam ipsi contraria à corrupto Iudice  
lata, nulla esse pronunciaretur.

§. III.

Nec putandum est, casum talem nunquam esse  
eventurum, ut corruptus iudex contra ipsum corru-  
ptorem pronunciet, experientia enim nonnunquam,  
licet satis raro, id fieri nos edocet, cujus rei nonnihil  
paradoxæ causa esse potest vel nimis aperta causæ cor-  
ruptoris injustitia, vel etiam, si altera pars factam cor-  
ruptionem expiscata fuerit, de eoque iudici confite-  
rit, metus, ne injustam sententiam passus, ex justo do-  
lore, corruptionis iudicem publicè convincat, quod  
metuendum ipsi haud est, si contra corruptorem pro-  
nunciaverit, quamvis enim iudex munera vel reapse  
exhibita, vel promissa acceptans indistincte de jure ci-  
vili pœnæ reus sit, sive jura litigantium violaverit,  
sive illæsa conservaverit *L. 3. §. 1. & 2. ff. de Calumniat.*  
*& all. auct. Novo jure Cod. de pœn.* nihilominus certam  
spem tali in casu iudex concipere potest, neutrum li-  
tigantium factam corruptionem esse denunciaturum,  
cum eum qui in justa sua causa victor extitit, ut-  
pote illæsum, nihil ad talem denunciationem moveat,  
ipsi autem corruptori eandem maximopere dissua-  
deat partim id, quod propria simul turpitudine reve-  
landa esset, quam alleganti ne quidem creditur; par-  
tim illud, quod ipsemet factam corruptionem denun-  
ciando se pœnæ reum faceret, *L. 1. C. de pœn. jud.*

§. IV.

Sed præter maximè illicitum hunc iudicis favo-  
rem datur etiam licitus, quem non nihil in hac ipsa

differatione, ceu ejus inſcriptio prodit, conſiderare in animum induxi: quæ enim hætenus, paucis quidem, de illicito judicis favore adduxi, nullo alio fine præmiſi, quam ut oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcerent. Vocari autem à nonnullis illicitus ille & injuſtus Ju- dicis favor conſuevit *favor hominis*, & econtrario li- citus ac permiſſus *favor juris*. Licet enim alias fa- vor juris plane contradiftingvatur favori judicis, & nihil aliud denotet, quam inſignes quasdam præroga- tivas perſonis quibusdam vel etiam cauſis conceſſas, e. g. ſic dictis piis cauſis, impuberibus, mentecaptis, furioſis, fœminis, militibus, perſonis miſerabilibus, quæ vocantur, pauperibus &c. nihil tamen obſtat, ut paulo alio ſenſu etiam favor quidam in judice favor juris dicatur, illam hac denominatione benignitatem indigitando, quam in nonnullis impertiendam arbi- trio judicis jura reliquere.

§. V.

Si *Judicis* vocabulum tam lato accipere ſenſu a- nimus eſſet, ut etiam ſupremos ſeu eos, penes quos *ἡ βίβλος* in republica reſidet, comprehenderet, quales ſunt in Imperio noſtro præter Imperatorem, omnes ſic dicti Status Imperii, ampliffimus ſeſe mihi aperiret campus, diffuſiſſimas de jure diſpenſandi, & aggra- tiandi pertractandi materias, ſed id quidem à meo in- ſtituto alienum eſt, hinc Lectorem monitum volo, me hîc per judicem haud alium, quam ſubordinatum in- telligere. Et ſic levato tandem velo tractationis hu- jus pelago naviculam meam committo.

§. 6.



§. VI.

Statim autem vel in ipſo proceſſus initio licito  
 iudicis favori locum eſſe nullus dubito. Etenim cum  
 Actor omnes eo nervos intendat, ut inchoanda lis in-  
 tra brevifſimum terminetur temporis ſpatium, quo  
 nimirum quantocius ſcopo ſuo potiatur; Reus autem  
 è contrario plerumque omnem movere ſoleat lapi-  
 dem, ut eandem, quam longinque fieri poſſit, protra-  
 hat, unde dici ſolet, quod Reorum ſit fugere *L. 2.*  
*Cod. de jurejur. propt. calumn.* rebus autem ſic ſtanti-  
 bus Actoris ſcopo procedendi modus ſummarius, qui  
 dici ſolet, & contra Rei deſiderio ſic dictus ordinarius  
 reſpondeat, prima ſæpe ſæpius concertatio Actorem  
 inter & Reum eſſe ſolet de eo, an proceſſu ſummario,  
 an vero ordinario cauſa ſit diſceptanda, Actore qui-  
 dem pro viribus urgente ſummarium, licet cauſa et-  
 iam in ſe ad ordinarium potius ſpectet; Reo vero  
 omnibus modis ordinarium expoſcente, licet quando-  
 que cauſa manifeſte ſit ſummaria.

§. VII.

Jam licet pleræque cauſæ in jure determinatæ ſint,  
 quæ ſummarium requirunt proceſſum, quas hic enu-  
 merare nihil attinet, cum paſſim apud Ordinis Judi-  
 ciarii Scriptores occurrant, nihilo minus non ſolum  
 haud pauca iudicis arbitrio hac in re ſunt relicta, ſed  
 & iudicem pro re nata non raro in cauſa, quæ regu-  
 lariter ad ordinarium ſpectat, loco ordinarii ſumma-  
 rium admittere poſſe, haud pauci perſuaſi ſunt *arg. L.*  
*2. ff. de re judic. L. 2. pr. ff. de aqu. & aqu. plurv. arc. &*  
*L. 13. §. 2. in fin. ff. de uſufr. & ſummum quidem Prin-*  
 cipem

cipem ordinarium semper in summarium mutare posse, extra omnem dubitationis aleam est positum, cum hic omnia processus essentialia contineat, & ordinarius ab eodem non nisi quoad solennitates differat, quæ mere sunt juris positivi, in quibus liberrima est Principis potestas, *cap. 22. X. de accusat.*

§. VIII.

At favorem talem non solum Principem, sed & subordinatum alium Judicem Actori exhibere posse expressissimè statuit *Carpz. in Proc. Tit. 1. art. 1. n. 62.* causas etiam ordinarias summariter tractare licere pronuncians, si Judici æquum id fuerit visum, & ne putes hoc de eo solum casu intelligendum esse, quo Reus consentit, rationem in subsequentiis affert, cur etiam, invito licet Reo, id Judici facere liceat: *Cum enim, inquit, ratio processus summarii in eo consistat, ut lites absque partis alterutrius præjudicio mox finiuntur, sumptibus parcat, &, quæ facili negotio expediri, ac sine ambiguitate judicialiter decidi & desiniri queunt, ambagibus & prolixitate haud implicentur, utique si in causis ordinariis pro ratione temporis, personarum, aliarumque circumstantiarum ex summaria processus tractatione idem Judex speret, brevioris litis decisionem justam sibi polliceatur, nequaquam ei manus erunt constringende, quin, invito etiam Reo, processum summarium admittat, quod multoties factum memini. Et n. 66. addit: Ac ne quis putet Judici inferiori haud licere, quod Principi est permissum, jusfit Serenissimus Saxonie Elector, non modo concordiam inter partes litigantes ante omnia tentare, sed modis quibuscunque providere, ne partes proveniant*  
ad

ad processum ordinarium, sed causa summariter decidatur, quando commode & utiliter id fieri possit. Ordin. Proc. Jud. Tit. 1. Besonders aber 11. §. Die weil sich aber 11.

§. IX.

Equidem in eo non possum facere cum Carpovio, quando statuere videtur, ipsam ordinationem processus Electoralem all. loc. id velle, ut, reo etiam invito, processum summarium loco ordinarii decernat, hanc enim ipsius mentem esse ex connexionem verborum sub finem §. anteced. adductorum cum præcedentibus n. 67. ubi Principi fas esse dixerat, processum ordinarium commutare in summarium, & si mandat, summarie causam tractari, summario subjiciendam esse processui. licet sua natura sit ordinaria, (& adeo licet etiam Reus renitatur, quod sane tantum non quisque Reorum tali in casu faciet,) quæ verba excipiunt illa: At ne quis putet &c.

§. X.

Quo minus autem, si hæc, ut plane videtur, Carpovii mens est, ipsi hac in re consentiam, duplex me ratio movet, primo enim nihil in all. §§. Ordin. Proc. deprehendo, quod insinuet Electorem velle, ut invito etiam Reo ad petitum Actoris processum summarium loco ordinarii decerneret, nam Judicem saltim inibi jubet Serenissimus Legislator, ut omnia tentet, quo partes vel ad transactionem disponat, vel saltem id ipsis persuadeat, ut per modum compromissi, vel alium, processum contrahant, temporique & nimis sumptibus parcant, (Daß zum wenigsten der Process, ut verba habent, mit ihrer beyder Bewilligung per modum com-

B

pro-

promissi oder sonsten eingezogen, und vergebliche Zeit und Geld-Spildung ersparet werde.) Quæ verba tantum abest, ut idem, quod Principi licet, nimirum, etiam invito Reo, summarium substituere processum, iudici quoque inferiori concedant, ut porius manifestò satis iudici utriusque partis consensum in processum summarium, loco ordinarii, si fieri possit, elicere injungant.

§. XI.

Altera mei dissensus ratio est, quod, si verba ordinationis de casu etiam, quo Reus summarium recusat processum intelligenda essent, inde consequeretur, non arbitrio Iudicis relictum esse, an favere Actori hac in re velit, sed ipsius officii esse, ut semper id faciat, præcipitur enim hic iudici, non autem solum permittitur, substitutio summarii processus in locum ordinarii: quod nunquam concedi poterit, siquidem hac ratione omnis processus ordinarius plane fere tolleretur, Actoribus quippe, ut supra dictum, tantum non semper ad summarium provocantibus. Cæterum ex recentissimis JCtis sententiæ, quod quandoque Iudex invita etiam altera parte permutare ordinarium cum summario possit, ipse etiam *Illustr. Bergerus* adstipulatur in *Oecon. jur. Lib. IV. Tit. XXX. §. 1. not. 2. p. 1161.* quamvis enim *ibidem* primitus, invita altera parte nec processum summarium in ordinarium, neque ordinarium in summarium converti posse adfirmet, statim nihilominus subdit: *At interdum hic valet arbitrium iudicis, utpote qui etiam in processu*

*cessu ordinario admonetur, concisus seu concisus dirimere li-  
tes &c.*

§. XII.

Imprimis autem Judex quoad concessionem pro-  
cessus summarii loco ordinarii favere poterit eo in  
casu, cum actor omnia libelli capita in continenti ex  
documentis probata dare potest, saltem in Foro Ele-  
ctorali Saxonico, consentaneum enim id est expressis-  
simis verbis in *Resol. Grav. d. anno 1661. §. 8. Ord. Re-  
cogn.* Anfangs seyn die Causa ordinariæ summariæ  
unter einander nicht zu vermengen; Wannenhero ein  
Kläger, wider Beklagten Willen eine an sich selbst or-  
dentliche Sache summariter, oder auch causam sum-  
mariam ordinariæ zu tractiren, nicht befugt, NB. es  
wäre denn, daß in actione ordinaria alle libellirten fa-  
cta aus gewissen Documenten in continenti zu verifi-  
ciren, in welchem Fall Klägern nach Anleitung der Er-  
ledigung de anno 1661. Tit. von Justicien-Sachen §. 8.  
zwar summariter zu klagen unbenommen, vid. *Bergeri  
Elect. Discept. For. Tit. 5. O. 1.*

§. XIII.

Sed sufficiat hæc de favore Judicis licito circa  
processus summarii in locum ordinarii substitutionem  
in medium attulisse, & videamus, quid ille circa ex-  
ceptionem inepti libelli valeat; Constat nimirum va-  
riis, imo fere innumeris, modis inepti libelli vitium  
Actorem incurrere posse, e. g. si diversi processus mo-  
menta conjungantur, si nimis sit obscurus libellus,  
*arg. Auth. offeratur C. de Litis contestatione, juncta L.  
1. de edend.* si nimis sit generalis, nisi tamen actio  
B 2 ipsa

ipsa actio sui natura sit generalis, ut actio pro socio, aut universalis, ut hereditatis petitio *arg L. 3. § 4. C. de sentent. que sine cert. quant. prof.* Si omittatur causa legitime agendi; si contraria & secum invicem pugnantia contineat; si cumulentur actiones incompatibiles. Est autem inepta actionum cumulatio duplex, objectiva & subjectiva, in illa plura tribus diversi generis capita uno libello junguntur, hæc adest, cum plures personæ haud consortes uno libello conveniuntur qualem casum proponit *Berger in Elect. Discept. For. p. 1772.* quo nimirum Mercator contra quinque diversos emtores ex causa emti venditi (*wegen ausgenommener Krahm-Wahren*) ad solvendum pretium uno libello experiri ausus est.

## S. XIV.

Certum non minus est Reum exceptione inepti Libelli ejus rejectionem à Judice impetrare posse, consueta illa formula: *Das die Klage, inmassen sie anbracht, nicht statt habe.* Interim nonnullis in casibus à favente judice etiam ineptus libellus sustineri potest, e. g. superius dictum fuit de Jure Saxonico Electorali Actorem in causa etiam ordinaria ad summarium processum in libello provocare posse, si omnia libelli capita ex documentis eodem contentis probare possit: nullum dubium est, Reum in casu quo probationi tali Actor satisfacere haud potest, & nihilominus processu summario experiri contendit, exceptionem inepti libelli esse oppositurum; At Judex in tantum Actori favere hoc in casu potest, ut non plane rejiciat, sed benigna interpretatione perperam sic pro obtinendo

do summario processu formatum libellum commutet in Ordinarium, quod egregio Præjudicio illustrat *Illustr. BERGER in Elect. Discept. Forens. p. 129.*

§. XV.

Sed datur etiam inepta inepti Libelli exceptio, quando nimirum Reus libellum talis ineptitudinis accusat, à qua revera est immunis, licet ex alia causa utique fit ineptus, e. g. si Reus ineptam cumulationem objectivam Actori objiciat, cum tantum subjectivam exprobrare debuisset. Sed etiam hoc vitium favor judicis quadantenus sanare potest, spectando potius id, quod à Reo fieri potuisset, quam quod ab ipso factum est, & consequenter exceptionem inepti libelli, licet non formaliter, materialiter tamen bonam, admittendo, quod licitum favoris genus pariter notabili præjudicio illustrat sæpe laudatus Dn. BERGER in *Elect. Discept. Forens. p. 1772.* in casu antea memorato de Mercatore uno libello contra tres debitores haud consortes agente, ubi refert, à Reo oppositam fuisse exceptionem inepti libelli, hâc ex ratione, quod plura tribus diversi generis capita inibi juncta essent, inepte cumulationem objectivam cum subjectiva confundendo, qua inepta inepti libelli exceptione non obstante, rejectus à Scabinatu Vitrnbergensi fuerit libellus.

§. XVI.

Pergo ad materiam de contumacia & ejus pœna. Coercetur autem contumacia de jure quidem Civili per capta pignora, *L. un. pr. ff. si quis jus dic. non obtemp.* vel, pro re nata, per missionem in possessionem, *L. 8. C. quom. & qu. Judex.* Secundum Jus

vero Saxonicum contumax duriores experitur forem, dum amissionem causæ & ipsam executionem patitur, nisi severam nimis hanc pœnam Favor Judicis mitiget, (quod in primis in processu summario fieri assolet) & contumacem ad probationem solum legitimum impedimentorum condemnet, quamvis etiam si velit dilationem aliquam insuper concedere possit Reo, antequam decernat dictam contumaciæ pœnam. Quid? quod magis adhuc favere Reo Judici permissum est, dum vel solam responsionem absque condemnatione in expensas, sub comminatione tamen pœnæ, eidem injungere potest, CARPZ. in Proc. tit. VIII. Art. 4. n. 56. it. P. I. Const. 9. def. 20. quantum autem hic sit favor vel exinde intelligere datur, quod pro favore haud exiguo habendum sit, si etiam cum condemnatione in expensas responsionem Reo præcipiat, siquidem mitior est condemnatio in expensas, quam ad probanda legitima impedimenta, eò, quod impedimentis non sufficienter probatis, condemnatio in ipsam executionem, prævia Actoris petitione, subsequi solet.

§. XVII.

Multum autem interest, quo stylo sententia litis contestationem injungens concepta sit, an in hæc verba: *Daß Beklagter sich mit seiner rechtlichen Nothdurfft einzulassen, und zu antworten schuldig sey*; an vero ita: *Daß Beklagter sich einzulassen, und den Krieg rechtens zu befestigen schuldig sey*. Prior enim tenor Reo, posterior Actoris magis favet, siquidem posteriora verba Reum ab omnibus exceptionibus dila-



dilatorii excludunt, PHILIPPI *ad Decis. Elect. 14. Obs. 1. n. 7.* priora autem haud obstant, quo minus iisdem adhuc uti possit, *d. Decis. Elector. 14. CARPZ. in Proc. tit. IX. Art. 1. n. 47. § tit. X. art. 2. n. 6 7.* dummodo eas in primo statim termino opponat, & nisi tutus sit exceptione fori declinatoria, aut aliqua alia litis ingressum impediante, quæ in continenti ex actis, vel propria partis adversæ confessione, verificari possit, eventualiter litem contestetur, *d. Decis. Nov. 14.*

§. XVIII.

Ast neglectis his, regulariter quidem Reus ob duplicatum terminum in expensas est condemnandus, *Chur-Fürstl. Sächf. Process-Ordnung, tit. XI. in pr.* potest tamen Judex etiam hinc Reo favore, & condemnationem in expensas, si exceptionibus utcumque saltem verisimilibus, & probabilem quadantenus disceptandi causam probantibus, se tueri valeat, intermittere, PHILIPPI *ad dict. Decis. Elector. Obs. 2. n. 12. seqq. cum alleg. ibid. DD. eo, quod pœna contumaciæ sit arbitraria, CARPZ. in Proc. tit. IX. art. 1. n. 67, 68.* Quamvis autem eventualiter lis contestata fuerit, Judex tamen super illa contestatione prius, quam exceptiones dilatoriæ plene sint discussæ, pronunciare haud debet. *d. Ord. Proc. l. c. §. Es soll aber ic.*

§. XIX.

Fit nonnunquam, ut Reus oppositis exceptionibus dilatoriis simplicem ad libellum responsonem subjungat, quo in casu iterum Judicis favori locus est: si enim velit, Actori favere, & super litis contestatione

ne

ne pure pronunciare, litemque sic haud parum maturare potest, CARPZ, *P. 1. Const. 3. def. 3.* cum videatur Reus quodammodo ab exceptionibus suis recessisse. Si autem Reo potius favere velit, potest nihilominus super exceptionibus dilatoriis pronunciare. Pariter si Reus, quod fieri haud raro solet, postquam ad litem contestationem deventum est, litem quidem contestetur, sed non rite, poterit Judex Actori favere, & quamvis hic id non urgeat, Reo per sententiam injungere, ut apertius, clarius, & magis specificè litem confesterur, *Process. Ordn. tit. XIV. in fin.* imo eum in expensas condemnare; potest tamen etiam ipsi parcere. inprimis si exceptiones utcumque probabiles deprehendantur. & ignorantia potius, quam malitia, subesse videatur, CARPZ. *Pr. tit. X. art. 4. n. 23. 24. 26.*

## §. XX.

Lite tandem rite contestata, exceptiones peremptoriae opponendae sunt, imo hodie cum ipsa litem contestatione conjungendae, STRYK. *in Introd. ad Prax. c. 16. §. 1.* quo facto, Actori, cujus regulariter est probare, dilatio conceditur probatoria, ut durante ea se praeparare, & statuto termino, sufficientibus intentioni suae probationibus instructus, in judicio se sistere possit. Sicuti autem omnis dilatio (nisi forsan sit terminus fatalis, ut decendum interponendae appellationis) ex arbitrio Judicis dependet, ROSBACH *in proc. tit. 37. n. 9. seqq.* HAHN *ad Wesenb. de fer. & dilat. n. 11.* ZOES. *ad ff. cod. tit.* BRUNNEM. *in repetit. paratit. Wesenb. cod.* STRUV. *in S. J. C. Exerc. 5. th. 37.* ita etiam hanc ex aequitate causaeque qualitate libere

re determinare, eam abbreviare vel prorogare, imo  
 tertia & quarta vice concedere potest, *Recess. Imp. A.*  
*1654. §. den punctum &c. L. 7. de fer. BRUNNEM. in*  
*Proc. c. 6. n. 11. LAUTERB. in Comp. Jur. tit. de fer.*  
*in f.*

§. XXI.

Præterlapso autem dilationis tempore, Actor;  
 quod ei à Reo negatum est, probat, quo sine produce-  
 re solet articulos ex libello, vel negatis positionibus  
 formatos, quos Judex postmodum examinat, an actio-  
 ni institutæ conformes sint, an verò forsan imperti-  
 nentes, quod, si dubium sit, Judex omnes articulos,  
 etiam qui impertinentes videntur, admittere potest,  
 sed cum clausula: *Salvo jure impertinentium.* Juxta  
 hos articulos examinantur testes, quibus si defectus a-  
 liquis opponatur, petaturque, ut a testimonio feren-  
 dendo arceantur, probatio vero defectus in conti-  
 nenti non præsto sit, judex ex favore illos admittere  
 potest, ne probatio pereat, salva tamen parti adversæ  
 exceptione contra probationes & dicta testium, ME-  
 NOCH. *de arbitr. Jud. quæst. causa 239. MASCARD.*  
*de probat. Concl. 695.*

§. XXII.

Si Actor in libello possessorium & petitorium cu-  
 mulaverit, non parum quoque poterit favor Judicis,  
 cum, ut DD. uno fere ore fatentur, vel super Posses-  
 sorio aut Petitorio solo, vel super utroque pronuncia-  
 re, ipsi permissum sit, CARPZ. *Parte II. Const. 7. def.*  
*9. n. 10. & 11. Lib. 1. Resp. 71. n. 23. seqq. HARTM. PIST.*  
*Lib. 1. quæst. 45. n. 12. seqq. Cui favori etiam locus est,*

C

fi sa.

fi salutaris clausula consueta: *Super his omnibus, que jam petita, aut que de jure vel consuetudine omni meliori modo peti debuissent, imploro nobile Judicis officium, pro jure & justitia largissime administranda, libello adjecta sit, licet ille cumulationem possessorii & petitorii haud contineat. Ast si neque hæc cumulatio, nec dicta clausula salutaris libello subjuncta, interest, an solum Petitorium, an solum Possessorium fuerit intentatum; illo casu super solo petitorio pronuntiandum esse, communis est opinio, CARPZ, lib. 1. Resp. 72. per tot. Parte I. Const. 26. def. 7. & P. II. Const. 7. def. 9. n. 1. in Proc. tit. 1. art. 5. n. 17. seqq. tit. XVI. Art. 2. n. 33. sed si solum possessorium sit intentatum, CARPZ, quidem pariter putat, super eo solo esse pronuntiandum, ll. ca. ast insignem hic facit exceptionem *Noviss. Decis. Electoral. XIII.* facultatem hoc in casu concedendo Judici in Petitorio simul pronuntiandi, modo Actor jura in petitorio allegaverit, Reusque ad ea ex professo responderit, ita ut ex actis Judici de meritis causæ in petitorio satis constare possit.*

§. XXIII.

Porro, quid circa juramentaria favor Judicis valeat, videamus. Hæc vel voluntaria esse, vel necessaria, constat. Illa quod attinet, nullum fere circa eadem favori Judicis locum esse facile concedet, quisquis eadem à voluntate litigantium dependere cogitaverit, nisi forsitan circa terminum eadem præstandi. Et is quidem de jure Saxonico duplex est, alter ad offerendum, alter ad jurandum. Circa priorem, qui octiduo, à tempore, quo sententia vel decretum in rem ju-

judicatam transiit, computando, absolvitur, lis olim inter DD agitata hodie decisa est, per *Noviss. Decis. E. leZoral. XVII.* sancientem, ne quidem per taciturnitatem adversæ partis, de præterlapso termino non excipientis, prorogari eundem posse, sed ita tamen, ut si impedimenta habeat legitima, eaque in termino ad jurandum præfixo alleget, & in continenti probet, audiendus, neque juramentum ob id, quod non juraverit, pro deserto habendum sit. Quoad alterum verò fatale præstandi videlicet juramenti, favor Judicis in tantum locum habet, ut ipse etiam citra consensum partis terminum juratorium possit prorogare, vel requisitus ab altera parte, vel etiam sponte sua, CARPZ. *Decis. Illustr. 193. & in Proc. tit. XI. art. 3. n. 82.*

§. XXIV.

Quando pars cui ab altera delatum est jusjurandum, illud non præstat, sed alteri refert, quod integrum ipsi est, *L. 34 §. 7. 8. ff. de Jurej. L. 38. cod. L. 9. C. de reb. cred. secundum Ordinat. processus Saxon. tit. XVIII. §.* Ferner die relation &c. relatio illa fieri debet vel paulo post delationem & ante sententiam præstationem juramenti decernentem, vel post eam, intra decendum, per modum leutationis, vel tandem eo in casu, quo referendi facultatem expresse sibi reservavit Reus, intra octiduum à tempore, quo sententia publicata in rem judicatam transiit. Sed, licet etiam Reus de reservanda sibi referendi facultate non protestatus fuerit, Judex tamen ex favore eam facultatem ultro in sententia ipsi reservaverit, integrum ipsi est, etiam post decendum offerendi sese ad præstationem

tionem juramenti, ita ut hac ratione Leuterationis sumtibus parcere possit, CARPZ. in Proc. tit. XI. art. 4. n. 19.

§. XXV.

Legalia inter juramenta considerare primo loco placet Juramentum Calumniæ, circa quod si locus aliquis Judicis favori esse possit, omnis ille consistit in ejus remissione. Sed huic non subjacere potest illud juramentum calumniæ quod, delato ab Actore juramento principali ab eo vicissim Reus postulat, eo quod per delationem illam juramenti principalis Reo jus sit quæsitum calumniæ juramentum à deferente exigendi, quod postmodum ipsi auferri nequit. Quin & in illo juramento calumniæ, quod ipse Judex decernit, sive generale sit, sive speciale, remissioni locum haud esse, prima fronte videri posset, eo, quod ne quidem partes disertis verbis sibi invicem illud possint remittere, siquidem lex de ejuranda calumnia in communem utilitatem lata est, L. 2. §. 4. C. de jurej. propt. calumn. Verum enim verò cum hodie potius juretur de calumnia committenda, quam evitanda, teste GAIL. L. 1. Observat. 85. n. 4. & CARPZ. in Proc. tit. XII. art. 1. n. 9. ex allegato ibid. Maranta, neque Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compesci possit, quem tamen scopum intendit Justinianus, L. 1. C. d. t. arbitrio & favori Judicis etiam remissionem juramenti calumniæ subesse asseri forsitan poterit, quo nimirum eo allaborare valeat, ne per leges, quæ perjuriam puniunt, via iisdem aperiatur, quod satis inhumanum visum est Imperatori, L. 2. C. de in-dict.

*dict. vid. toll.* parciq̄ue possit tenerioribus conscientis, quæ ex subtili quadam reverentia etiam in justa causa ad jurandum ad superstitionem usque timidæ sunt, *L. 8. ff. de Condit. institut.* Unde laudabilis à quibusdam existimatur observantia in Camera Imperiali, quando juxta eam Procurator, qui juramentum calumniæ in animam propriam recusat, saltem muctam patitur, ne nimirum si litis dispendio talis recusatio coërceretur, ad tantum avertendum damnum in perjuria Procuratores proruant.

§. XXVI.

Circa suppletorium juramentum, quod ei deferri solet à quo semiplene probatum est; & purgatorium, ad quod ille tenetur, contra quem militant præsumptiones, catenus favori judicis est locus, quatenus vel Actori probatione plena peracta, juramentum suppletorium, vel Reo dicto in casu purgatorium deferre potest. Illi autem utique favetur, cui ex sententia judicis id commodi contingit, ut stare haud teneatur sola adversæ partis temeritate in jurando. Porro in eo quoque favor judicis circa juramentum suppletorium erga Actorem se exerere potest, quod, postquam peracta semiplena probatione in causa conclusum est, nec ipse ad suppletorium admitti se petierit, Judex nihilominus eidem id decernere possit, quod, licet forsitan communi opinioni contrarietur, fundamentum tamen in eo habere videtur, quod partibus quidem, nunquam verò Judici in causa concludatur, *GAIL. L. 1. Obs. 108. n. 5.*

C 3

§. XXVI.

§. XXVII.

Nonnulli hoc ipsum eo usque extendunt, quibuscum etiam facit CARPZ. *in Pr. tit. 12. Art. 2. n. 16. seqq.* ut haud Judicis arbitrio vel favori relictum asserant, an, si Actor semiplene probans ad praestandum suppletorium offerre se neglexerit, eidem id ipsum deferre velit, nec ne, sed ad necessitatem, ut id à Judice fiat, pertinere contendant, provocantes ad *L. 3. C. de reb. cred. junct. L. 37. ff. de verb. signif.* Verum cum hæ leges id sufficienter haud probent, quod eisdem probare illi intendunt, nec Judex officium suum, nisi desuper imploratus, impertiri teneatur, *L. 31. ff. de jurejur. junct. L. 1. C. quomodo & quando Jud. cap. ult. X. de jurejur. junct. L. 40. pr. §. de Judic.* saltem eo in casu, quo clausulam salutarem Actor omisit, necessitatem Judici ad decernendum suppletorium de jure civili impositam haud esse, existimo. Nec tamen etiam cum ANT. FABRO sentire possum, qui *in Cod. L. IV. tit. 1. def. 8. n. 2. seqq.* asserere non dubitat, nec tum, quando Actor clausula illa salutari usus est, Judicem ad decernendum suppletorium haud teneri; quod enim rationis loco subnectit, non esse praesumendum aliquem hac clausulae generalitate sese ad actum jurandi multum prajudiciale obtulisse, veritati consentaneum haud esse videtur, cum certe juramentum hoc non Actori, sed Reo, sit prajudiciale. De jure autem Saxonico Electorali utique constat, sive ad suppletorium admitti quis petierit, sive petere neglexerit, à Judice id decerni debere, hoc tamen nihilominus





nus arbitrio ipsius relicto, cuiusnam, Actori an Reo, id deferre velit. *Ord. Proc. Ele& Saxon. tit. XXX.*

§. XXVIII.

Non dubitandum est, etiam circa iuramentum in litem multum posse favorem Judicis. Distingvitur autem illud, uti notum, in iuramentum *affectionis* & *veritatis*, vulgoque docetur, illi solum locum esse, si dolose egerit Reus, huic autem, quando culpam solum commisit, verum id *L. 4. §. 4. & L. 5. §. 3. ff. de in lit. jur.* aperte contrarium deprehenditur, utpote ex quibus satis clare perspicitur, solam culpam iuramentum in litem plane respuere, & non nisi æstimationem Judicis desiderare. In solo igitur casu, quo Reus dolum commisit, tam *affectionis*, quam *veritatis* iuramento locum esse statuo, ita nimirum, ut iudex vel hoc, vel illud, pro lubitu deferre possit, *L. 4. §. 2. ff. cod.* imo, ut etiam libertas ipsi competat, juraturo licentiam jurandi in infinitum permittendi vel dene-gandi, *L. 2. & 18. pr. ff. de dolo malo.* Illud si facit, multum quidem favet Actori, non tamen impeditur, quo minus in gratiam Rei, præstito quamvis iuramento, nimiam litis æstimationem, prægnanti ex causa, & ob postea repertas probationes, restringere possit, *L. 4. §. 3. ff. de in lit. jur. & L. 5. §. 2. cod.*

§. XXIX.

Magis autem adhuc favere poterit Iudex Reo contra quem in litem jurandum est, si affectioni jurantis modum per sententiam statuere, atque ut intra certam quantitatem juretur, jubere velit, quod in ipsius potestate est, *all. L. 4. §. 2. & L. 5. §. 1. ff. d. tit.* Quod quidem

quidem iterum duplici modo fieri potest; vel enim Judex, dum modum juramento statuit, veram rei æstimationem quadantenus excedit, vel præcise eandem sequitur; illo in casu (quod ad puniendum Rei dolum ipsi omnino licet) eatenus saltem favet Reo, quatenus Actoris licentiam in infinitum jurandi restringit; in posteriori autem casu, quando nimirum veram rei æstimationem Judex non excedit, (quod ipsi licere vel exinde certum est, quoniam juramentum in litem etiam non deferre potest, *L. s. §. 1. ff. de in lit. jar.*) adhuc magis favet Reo, dum ultra veram rei æstimationem eum non aggravat. Et hoc demum in casu præstitum ab Actore juramentum in litem nomen *juramenti veritatis* mereri videtur, cum vix aliud pretium pro justo habendum sit, quam quo rem aliquis, qui nec in, nec ad eam jus habet, illius tamen satis gnarus est, dignam æstimat: contra in priori casu, quando nimirum Judex Actoris jurandi licentiam non intra limites veri pretii coarctat, sed eam plus minus ultra id ipsum evagari permittit, juramentum in litem revera nec *affectionis*, nec *veritatis* proprie dici potest: non illud, quia Judex Actori non secundum affectionem suam jurare permisit; non hoc, quia nihilominus verum pretium jurando transgredi potuit.

§. XXIX.

Juramento in litem affine admodum est moribus & legibus Saxonice introductum *Juramentum minorationis s. diminutionis*, quod dicitur, adeo, ut etiam nonnulli eadem confundant, quos inter est ZOBEL

in

*in gloss. art. 47. lit. b. Land-Recht Lib. 3. cum tamen utique hæc duo juramenta modo haud uno ab invicem differant. Agit de hoc juramento totus tit. XXXI. Ordin. Process. Sax. & præstari illud solet à Reo, (in casu, quo ipse Actori vi damnum intulit nec tamen in damni illati æstimatione ipsi cum Actore convenit, sed hic id ipsum majoris æstimat, quam Reus,) super propria damni æstimatione, eo effectu, ut ad majorem satisfactionem Actori haud teneatur eâ, quam jurata propria illius æstimatio determinat.*

§. XXX.

Differt autem juramentum minorationis à juramento in litem quatuor potissimum modis, nimirum 1) *ratione personæ jurantis*, illud enim à solo præstatur Reo, hoc à solo Actore; 2) *ratione petitionis*, illud enim non decernitur nisi petitum sit, hoc etiam citra ullam partis petitionem defertur; 3) *ratione materiæ*, illud enim locum solum habet in illata vi ablativa, vel expulsiiva; hoc in qualibet violentiæ specie; 4) *ratione temporis*, illi enim non est locus, nisi in eodem foro Electorali Saxonico, ante præstitam cautionem, litemque contestatam petatur; hoc nulli adstrictum est tempori; BERGER *in Elect. Discept. Forens.* Interim me vix ac ne vix quidem comprehendere posse fateor, quid moverit inter alios etiam ipsum *Illustrem BERGERUM*, ut ab ipso Actore perendum esse juramentum minorationis statuerint, si locus ipsi esse debeat, cum tamen illud petere è re non Actoris, sed Rei sit, imo illius commodis plane contrarietur; ipse enim efflagitat illatam damni resarcitionem juxta propriam

D

æsti-

æstimationem, cui moderandæ Jus Saxonicum in favorem Rei juramentum hoc minorationis adinvenit, quod adeo petere lite contestata Reus haud intermitter. Nec hæc sententia ullo modo *in Ordin. Proc. all. tit.* fundata videtur, præsertim si conferatur *Ordin. Recogn. eod. tit. pr.* utriusque enim textus hoc saltem insinuat, Actori necessitatem injunctam esse, ut ante cautionis præstationem & litis contestationem ad rescarciendum juxta propriam æstimationem, damnum condemnari Reum petat, nisi is juramentum minorationis præstare voluerit.

§. XXXI.

Progredior ad probationem, solennem nimirum, non subsidiariam, quæ per juramenta fieri solet, consideraturus, qui ejus intuitu favor Judicis se exerere possit, quod potissimum fiet circa terminum probatorium, ejusque dilationes. De jure quidem civili circa ipsum terminum probatorium nihil constitutum est, adeoque juxta illud in arbitrio Judicis est, quem terminum probatorium præfigere velit, *CARPZ. in Pr. tit. XIII. art. 1. n. 144.* quod nec de Jure Canonico aliter est, tum, quod illud in dubio semper concordare cum Jure Civili præsumitur, tum *arg. cap. 15. X. de sentent. & re jud.* sed quod dilationem ejus attinet, id sancitum *in L. 1. C. de dilat.* apprehenditur, ut, si instrumenta, vel personæ fidem facientes poscantur ex eadem provincia, ubi lis agitur, Judex minus quidem spatium tribus mensibus præfigere possit, (ubi adeo ipsius erga Reum favori locus est) non liceat tamen dilationem ultra tres menses producere; quemadmodum  
nec,

nec, si probatio ex provincia non ultramarina depro-  
menda sit, ultra sex, si vero ex ultramarina petenda,  
plus quam novem mensium dilatio conceditur, & ita  
quidem ut nec ampliari eadem possit, quamvis de sta-  
tu hominis, re in jure admodum favorabili, agatur,  
*L. ult. Cod. de dilat.*

§. XXXII.

Cumque etiam de jure Electorali Saxonico, licet  
terminus probationum Saxonicus *in Ordin. Proc. tit.*  
*XX pr.* statutus sit sex septimanarum, & trium die-  
rum, dilationes tamen ad quatuor usque concedi pos-  
sint, secunda quidem & tertia non nisi legitimo impe-  
dimento in continenti probato, & quarta non aliter  
quam cum causæ cognitione & solennitate legali, non  
obscurum est, etiam intuitu Juris Electoral. Saxonici  
non exiguum favori Judicis esse locum. Interim di-  
latio talis non semper terminum Saxonicum conti-  
net, sed pro ratione temporis & obstaculorum qualita-  
tibus, modo dimidium dicti termini, modo unicam  
quaterdenam continet. Quod vero summariam o-  
stensionem sive demonstrationem atrinet, negandum  
non est, juris communis dispositionem in foro etiam  
Elect. Saxonico vigere, hoc est, ejus terminum, ter-  
minique dilationem Judicis arbitrio relictam esse, jux-  
ta ea, quæ trad. *CARPZ. in Pr. tit. XIII. art. 1. num. 197.*  
*seqq. & P. I. Const. XVI. def. 16.*

§. XXXIII.

Quodsi de solenni probatione agatur, Judicem, si  
favere velit, statim in sententia posse duplicatum, imo

triplicatum terminum probatorium Parti indulgere, cui, si terminum præterlabi passa fuerit, restitutio in integrum denegari non potest, e. g. *Minori, Fœminæ &c.* sunt qui statuunt, contradicentique *GAILIO, Lib. 1. Obs. 108. n. 5.* eo quod Judex nunquam pro tribunali extemplo secundam vel tertiam dilationem, nec unquam absque aliqua causæ cognitione concedere possit, *L. 7 ff. de fer. & dilat.* respondent: insufficientem esse hanc rationem, eo quod causa restitutionis sæpe, utpote in ipsos sensus incurrens, nullam requirat desuper instituendam Judicis cognitionem, v. g. *sexus muliebris &c.* cum notoria non egeant probatione. Quamvis autem mihimet *GAILII* ratio negandi non satis prægnans videatur, alia tamen suppetit, quæ statim ab initio citra partis, cui probatio incumbit petitionem duplicatum triplicatumve terminum probatorium simplicis loco præfigere Judici dissuadet, nisi simul Partem illam ejus admoneat, duplicato triplicatove termino inaniter elapso, nulla in integrum restitutione ipsam gavisuram, alias enim Pars altera nimium gravaretur, illicitumque favorem Judicis id saperet.

§. XXXIV.

Etenim si sub hac condicione id fiat, aliquatenus quidem Parti probanti favet, dum eam liberat à tædiosa alterius Partis disceptatione, quæ fere est inevitabilis, nec tamen etiam huic nimium præjudicat. Cæterum quæ de probatione hætenus dicta sunt, etiam circa Reprobationem locum habent, & eo magis

gis quidem, quod favorabiliores sint Partes Rei, quam Actoris, *L. 125. ff. de Reg. Jur.* & quod Actori licet, Reo non possit non permitti *L. 41. pr. ff. de Reg. Jur. c. 37. de Reg. Jur. in VI.* hinc quoque est, quod Reo tanta termini probatorii intervalla, rotidemque ejusdem dilationes concedantur, quot & quanta Actori concessa sunt, *GAIL. Lib. 1. Obs. 91. n. 13.*

§. XXXV.

Peculiaris tamen Reprobationi est terminus, à quo ipsius fatale currere incipit, nimirum dies insinuatae citationis, & quidem vel ejus, quæ ad publicandam Actoris probationem emanavit, quoties nimirum probatio aut solis testibus, aut testibus & instrumentis simul peracta est, vel ejus, quæ ad procedendum super probatione emissa fuit, si solis documentis, ubi publicatione non est opus, res confecta sit. Potest autem hîc quoque quoad terminum reprobatorium Judex Reo favere, si ad ejus petitionem, per sententiam, quæ super facta recognitione productorum documentorum fertur, ipsum Reprobationem suscipere jubeat. Tum enim terminum reprobatorium demum à die hujus judicati currere tradit *CARPZ. in Pr. tit. XIII. art. 2. n. 30. ex Ordin. Proc. tit. XX. §. Wenn aber.*

§. XXXVI.

Circa fatale introducendæ Appellationis aliquando in prorogando Judicis arbitrium, & consequenter favorem, versari, (quanquam hoc citra sententiam fiat) *arg. cap. 5. X. de Appellat. c. 5. X. de in integr. restitut.*

tut. quibus jungi potest arg. L. 18. pr. ff. de judic. contendit HAHN. ad Wesenb. tit. ff. de fer. n. 13. alibi, nimirum ad tit. ff. quando appelland. tradit id arbitrarium esse, prout in hoc vel illo judicio certum ei tempus præstitutum, & prorogari illud posse, modo in termino legitimo id petatur, secus ac interponendæ, quod prorogationem nullam admittat.

§. XXXVII.

Fatale justificandæ Appellationis, cum illud satis amplum sit de jure civili, siquidem non solum regulariter annuo constat spatio, sed &, si probare possit Appellans, per se non stetisse, quo minus appellationem justificaverit, biennium concedatur, L. ult. §. 4. Cod. de temp. reparat. appellat. Nov. 49. pr. §. 1. Judicis favor in coarctatione tam ampli spatii se exerere potest, cum nec annum spatium relinquere teneatur, imprimis, si ex tanta dilatione aliquod periculum immineat, aut ea non sit locorum distantia, vel personarum causæve qualitas, quæ tam prolixum spatium exposcat, cap. IV. X. de appellat. c. 57. eod.

§. XXXVIII.

Insignis etiam est favor, quem ratione citationis ad justificandum aut prosequendum appellationem Appellato exhibere potest Judex in foro Saxonico, ita nimirum coarctando terminum justificandæ Appellationis, aut prosequendæ Leuterationis, ut licet dimidium saltem terminum Saxonicum contineat, Appellans tamen aut Leuterans sub pœna desertionis & condemnationis in expensas, & justificare & prosequi Appel-



Appellationem teneatur, prout latius hæc exponuntur in Mandato Serenissimi Saxoniae Electoris specialiter hac de re emisso d. 12. Aug. 1670. quod etiam citat BERGER in *Elect. Disceptat. forens. ad tit. IV. O. P. obs. 1. not. 1.*

§. XXXIX.


Cæterum, quemadmodum in iis, quæ Appellationi cum Leuteratione sunt communia, inter alia notatu dignus est favor, per quem utrobique etiam super accessoriis, ut fructibus & expensis pronunciare potest Judex, licet nulla horum in sententia, adversus quam Leuteratio vel Appellatio est interposita, facta fuerit mentio, nec propter earundem emissionem remedia suspensiva adhibita fuerint, CARPZ. in *Pr. tit. XVIII. art. 1. n. 81, 82.* ita & iste favor circa hæc utrique remedio communia non postremus est, quando Judex Appellationis tam super recognitione certorum documentorum, de quorum tamen recognitione in prima instantia nec quæstio, nec desuper appellatum fuit, pronunciat; quam super exceptione præscriptionis in favorem Rei sententiam fert, licet pariter præscriptionis in prima instantia nulla facta fuerit mentio, nec desuper appellatio interposita reperiat. Uti etiam Judex in appellationis instantia, si favere velit, simul super petitorio, cæteris paribus, judicare potest, licet in prima instantia possessorium solum intentatum sit.

§. XL.

Quid? quod eousque Judex à quo favorem erga Appellatum extendere potest, pro re nata, ut sententiam

tiam à qua intuitu Appellantis deteriorare, intuitu Appellati vero deteriorare possit, licet etiam hic Appellationi non adhæserit. CARPZ. in *Pr. tit. XVIII. art. 1. n. 42.* Ratio autem horum assertorum in eo consistit, quod per Leutationem, in primis autem per Appellationem, causa redeat in eum statum, in quo fuit tempore litis contestatæ, HARTM. PIST. *Lib. IV. qu. 23. n. 3.* Sed temporis angustia exclusus vela hic contraho, Lectorem Honoratissimum rogans, ut, si non satis accurate elaboratum à me hoc thema deprehenderit, non solum ob festinationem me excusatum habeat, sed & cogitet, quod, ea potius in medium afferre, quæ hinc inde DD. de hac materia practica statuunt, quam eadem severiori subijcere examini, propositus mihi ab initio statim fuerit


F I N I S.



Erfurt, Diss., 1723

X 2386946





B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1723/12  
4,669  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

158. 20.  
14

# LICITO JUDICIS FAVORE,

QVAM,  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,  
DOMINO

O. JOACHIMO HAHN,  
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

incentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hasfiam & Hsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M.V. & ad S. Joannem Moguntiae, respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliqv.

EX DECRETO ET AUTORITATE ILLUSTRIS JCTORUM  
ORDINIS,

IN ACADEMIA ERFURTENSI,  
SUB PRAESIDIO

ON. JO. PHILIPPI *Streits* / JCTI,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII  
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICAE DECANI,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
CONSEQVENDI,

PUBLICAE ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBMITTIT  
ANDREAS HENNICKIUS, Welfa-  
Torg. Misnicus.

DIE XIV. APRILIS, A. O. R. MDCC XXIII.  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, H. C.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.